Literæ Caroli Chriſtianiſsimi
REGIS EXHIBITAE AB ILLVSTR.mo D. CARDINALI A' LOTHARINGIA AD SANCTAM TRIDENTINAM SYNODVM, ET

ORATIO EIVSDEM ILLVSTR. PRINCIPIS, & Reuerendiſsimi Cardinalis à Lotharingia ad Sacroſanctam Synodum.

Acta, & habita omnia in Congregatione Generali. Die xxiii. Nouemb. 1562. Tridenti.


BONONIAE,

Typis Ioannis Rubei.

MDLXII.

LITERAE CAROLI REGIS CHRISTIANISSIMI.

CAROLVS DEI GRATIA Francorum Rex,



SAPIENTISSIMIS, & Reuerēdissimis Patribus in Sacrosancto Tridentino Concilio congregatis, salutē. Et si ea fuit DEI Opt. Max. voluntas, vt iam inde ab ineunte ætate nos ad tanti huius Regni Imperium vocarit, eiusq; altæ, & infinitæ iudiciorum prouidentia placuit nobis committere huius Principatus initia, adeo tumultuum, & ciuilium bellorum plena, ut nulla illius, vel minima Prouincia inueniri possit, quæ hisce calamitatibus careat. Oculos tamen pueritiæ nostræ hæc ipsa diuina bonitas ita aperuit, ut tãtorum malorum causam facilè iudicauerimus non aliunde, quàm ex varia, & multiplici de Religione opinione, qua populus noster imbutus est, processisse. Cognoscamus ēt huius grauissimi morbi remedium non ab hominū prudentia esse petēdum, sed à Deo viuo, & inexhausto misericordiarum fonte, qui requirentibus eum ex animo, suiq; nominis gloriam tãtum, & honorem spectantibus, nunquam defatigatur beneficia, & gratias conferre. Itaq; eodem Sancto spiritu ducti, cum primum Regia Corona sumus insigniti, nihil nobis magis fuit in votis, quàm cum maiorum nostrorum exemplo, ad sacros cōuentus, vel ad eius ægritudinis vnicum, & præsens medi-

camentum confugere, tum in bon.mem. FRANCISCI Regis Domini,& fratris nostri amãtissimi vestigiis permanere,& quanto potuimus studio,& diligentia, hanc ipsam,in quam nunc ex variis orbis terrarum partibus côuenistis,celeberrimam Synodum expetere. Ac illud quidẽ grauissimè tulimus,nos,qui huius instituti adeò pii,& optati authores fuimus,nõ tamen efficere potuisse, vt Prælati nostri in hoc generale Conciliũ primi conuenerint, Sed huiusmodi dilationis causam,& alii omnes,& vos ipsi necessariam esse iudicastis,cumq; amãtissimum,& dilectissimum consobrinum nostrum Cardinalem LOTHARINGIVM, Archiepiscopũ,ac Ducẽ Remen. Primum Franciæ Parem, inq; illius comitatu aliquot Regni Episcopos,& Abbates aduentare videatis,nihil quidem à nobis cum simulatione, aut exquisitis diffugiis, sed omnia serio,piaq; & Sancta voluntate gesta esse facilè existimabitis. Causa autem (Sapientissimi Patres) propter quam consobrinum nostrum ad vos misimus,duplex est. Altera,quod ille muneris sui nõ oblitus,quiq; optimè nouit,quid Ecclesiastica professio, horumq; temporum calamitas ab eo suiq; ordinis hominibus requirat,sæpius, & vehementer isthuc eundi facultatem à nobis optauit,& petiit. Altera quod ille,à teneris annis ad secretiora nostra consilia euocatus, & in Regni nostri grauissimorũ negotiorum administratione educatus,optimè nouit fontes, & origines tumultuum nostrorum,& quibus rebus egeamus, vt ii sedari possint. Eiq; in mandatis dedimus ea apud vos exponere, & quæ à prudentia vestra, & amore paterno remedia iure expectari possint nõ solum propter Regni

nostri tranquillitatem, sed etiam totius Reipublicæ Christianæ salutem à vobis impetrare. Cum enim præ oculis quod est veri,& puri DEI cultus semel habuerimus,poterimus tandem ad laudatam illam,& adeò expetitam rerum emendationem, quæ temporum iniuria, & hominum malitia funditus perierant, peruenire, ac in honorem,& exaltationem DEI nominis, Vnitatemq; Ecclesiæ antiqua illa catholicæ Ecclesiæ Maiestas, & integritas splendebit. Quam rem velut munere nostro dignam Vniuersus Orbis iure suo, à vobis requirit, eamq; si feceritis, accedet vobis incredibilis remuneratio à manu illius liberali, qui se harum rerum liberalissimum remuneratorem profitetur, Reges itẽ, & Respublicæ Principesq; omnes vobis se meritò deuinctos existimabunt vestramq; pietatem magna cũ vestra laude posteritati commendabunt, & quoniam eo est ingenio consobrinus noster, vt ea planè nouerit, quæ vos speciatim scire cupimus. Obsecramus vos (Sapiẽtissimi Patres) illum vt æquo, & lubenti animo audiatis, eamq; illi fidem, quam nobis, si isthic essemus, adhibeatis, petentes interea à DEO Opt. Max. vt vos suo præsidio nobis,totiq; orbi Christiano diutius conseruare dignetur.

CARDINALIS A LOTHARINGIA, AD SANCTAM SYNODVM ORATIO.

ILLVSTRISSIMI DD. REVER.mi EPISCOPI.



HRISTIANISSIMVS Rex CAROLVS, Reginæ Matris Christianissimæ authoritate, ac præcipuo Regis Nauarræ assensu, Procerũq; omnium conscriptorum consilio, has literas, quæ modo perlectæ sunt, decreuit, mihiq; ad vos perferendas dedit. Quarum præcipua ea capita, quæ maiorem à me explicationem desiderant, pro ea quæ mihi tradita est, fide explicabo quàmbreuissime potero. Hæ (vt meministis) statim in initio rerum Regni illius nostri nobilissimi, amplissimi, ac florentissimi quondam summum erga Regem fidei, & obseruantiæ statum, & conditionem testantur, dicam vno verbo non sine incredibili animi dolore, fuimus Galli, fuit ingens gloria Francorum. Hæ rerũ omnium clarissimi Oratores sunt vicissitudines, manus Domini tetigit super nos, viri patres, ac fratres hoc nobis iustũ DEI in ira sua iudicium prouocauerũt, corrupti omniũ ordinũ mores, ac Ecclesiastica omnis collapsa disciplina has turbas excitauerunt: Hæreses non suppressæ, & à Domino DEO nostro instituta remedia tãdiu neglecta. Hinc illæ lachrymæ, ac per totum Regnum dissidia, odia, rapinæ, bella intestina, ac plusquàm ciuilia, luctus vbiq; dolor & plurima

rima mortis imago. Nec sacrosanctis DEI templis parcitur, Præsbyteri, ac Religiosi viri, ad aras vsq; quas amplexantur, morientes trucidantur: Visibilia sacramentorum signa pedibus conculcantur, comburuntur, passim erecti apparent rogi, ex omni genere Ecclesiasticorum ornamentorum accensa ex imaginibus directis Pyra, additis non solum Ecclesiasticarum, sed etiam antiquissimarum Bibliothecarum libris, nec quicquam ex chartis publicis, ac instrumẽtis, quæ ad dotationem pertinent reseruatur. Sanctorum reliquiæ ruptis altaribus in cineres redigũtur, qui sunt post hæc in profluentem proiecti. (Horresco referens) nec à summorum Põtificum, Imperatorum, Regum, Principum, Episcoporum, & sine discrimine passim aliorum omnium sepulchris abstinetur, eorum maximè qui de Ecclesia DEI benemeriti, per monumenta reperiũtur, Nomen DEI vbiq; blasphematur, spiritus mẽdacii in ore omniũ est, qui falso verbi DEI ministerium sibi vsurparunt, atq; ita expulsis pastoribus alieni ouis custos, fur, & latro in ouile ascendit. Postremò quod longè omnium est grauissimum, iuge, ac sacrosanctum sacrificium apud eos cessat. Quod intermissum quantam ruinam secum afferat, ac quãtam Regibus iacturam, & meministis viri doctissimi ex prophetarum oraculis, & experientia in magnis Imperiis, Regnis florentissimis, amplissimis Prouinciis didicistis, atque in Gallia nunc aspicitis, Regis enim maiestas contemnitur, Imperia detractantur, non modo vectigalia; sed prouentus etiam negantur. Iura omnia & leges silent, quilibet vindictam, quam exercet ex priuato odio metitur, ad defectionem populus excitatur,

tatur,

tatur, & excusso monarchiæ, quod aiunt iugo, anarchia in concionibus publice proponitur. Hæc omnia apud vos cogitate clarissimi Oratores, & quod in Gallia vobis nunc videre otiosis licet, sera nimis pœnitentia experiemini, si male sua Gallia, ex vicinia vos in ruinā trahat, sed quid vos sapiētissimi Episcopi detineo, aut diutius affligo? supersunt tanto huic modo malo opportuna remedia, habemus enim magnæ spei pupillū Regē, nō tàm Regni ex legitima successione monarchā, quàm religionis, & virtutum omnium auitarum hæredem, quem Pater HENRICVS, & auus FRANCISCVS excitat, & in quo iam FRANCISCI fratris demortui, omnium generis virtutum igniculi relucent, nec desunt CATHERINÆ Reginæ Viduæ, ac Nauarræ Regis optima consilia, & infractæ procerum vires, nullis opibus parcitur, vndiq; auxiliares copiæ comparantur, fitq; via vi, sed in nostra viscera, quantuncumq; uictrix dextera sit, ferrum conuertitur, cruuntur opes, & fit lamentabile Regnum, iamq; nulla ad sedandos tantos tumultus aptiora, nullū præsentius est remedium, quàm quod ab hac sacrosancta Vniuersalis Ecclesiæ legitime, & in Spiritusancto congregata Synodo expetitur, huc nos maiorum exempla trahunt, hoc verbum DEI docet, & vt speremus ex promissis suis, quæ nūquā fecit irrita, imperat: atq; ita demū ex hoc loco pax DEI, quæ exuperat omnem sensum expectatur, templum enim DEI sanctum est, quod sumus nos viri fratres, & tamet si diuisiones gratiarum sint, omnes tamen in vno spiritu, qui in nomine Domini nostri IESV CHRISTI congregati sumus, quos & dicere necesse est, prout Spiritus sanctus

tus sanctus dabit eloqui, quæ omnia, ut magis scire potestis, ad bene beateq; decernendum ex diuino præscripto sunt omnino necessaria. Hæc omnia Christianissimus Rex cum sibi satis persuadeat, nec quicquam alienũ ab his à nobis expectetur. Duo tamen præcipua sunt ea, de quibus vos admonet, pro sua in hanc Synodum obseruantia, & pro ea quam sentit ex his in Religione dissidiis, summa molestia. Primum itaq; à nobis postulat, vt quantum fieri poterit, noua dissidia vitemus, nouas (inquã) & infructuosissimas relinquamus quæstiones, ac demum quantum nobis licet enitamur, ut Principes, ac prouinciæ omnes ab armis abstineant, ab hoc desiderio excitandorum bellorum prorsus nos alienos esse oportet, ne qui ex nobis discesserunt, & se ab Ecclesia DEI præciderunt, existiment magis hoc conuentu Principes ad arma excitari, Societates, ac fœdera iniri ad bellum quantũncunq; sacrum, quàm de vniuersali omnium animorum reconciliatione decerni, solicitate omnia, seruate vnitatem pacis, si quid in ea interea per Regẽ peccatum est parcite quæso, Patres Amplissimi, HENRICVS Pater Author pacis fuit, quæ in Christiano orbe tam fœliciter seruatur eã quasi testamento paulo post moriens filio FRANCISCO Regi commendauit. Hanc, FRANCISCVS frater si nobis tàm cito ereptus non fuisset, magna prudentia retinere conabatur, pupillo, & viduæ iniquissimas semper turbas, & bella intestina, Rex, & Regina mater valde pertimuerunt, & pacatos subditorum omnium animos, ne quies publica inter turbaretur, summa prudentia, vt ætatem, & sexum decet, perpetuo exoptarunt, quod etiã si vt negari non

potest

poteſt, infœliciter ſucceſſit, infœliciores tamẽ belli euẽtus ſunt pertimeſcendi, ne ſi omnes in eodem periculo verſentur, eadem, & tempeſtate acti nemo periclitantes adiuuet, ac ſi in vnum, idemq; omnes naufragium faciamus, ſummam propterea rationẽ haberi deſiderat, eorum, qui lapſi ſunt, ſed vſq; ad aras. Alterum legationis meæ caput eſt, quod iã à principio Regi meo Chriſtianiſſimo, cum Sereniſſimo Imperatore, & reliquis Regibus, & Principibus viris, quorum hic Oratores clariſſimos viros habetis, fuit commune, nempe vt de reformatione, & morum, & Eccleſiæ diſciplinæ omnium, decernatur. De hac iterum, iterumq; vos admonet, ad eam ſeriò amplectendam, qua poteſt, obſeruantia, hortatur, & per dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, qui iudicaturus eſt viuos, & mortuos, obteſtatur, ſi Eccleſiæ authoritatem integram eſſe vultis, ſi eius dignitatem cõſeruare, ſi iam inclinatum nobiliſsimum Galliæ Regnum retineri poſſe iudicatis, nec vos ex veſtris cõmodis noſtra incõmoda metiri æquum eſt: ſi enim vniuerſa hæc Italia, ſi Hiſpania omnis ſedem, & clauum tenet, gratulamur vobis (fœliciſſimi Patres) nos puppi excidimus, & vix ſupremo digito gubernacula retinemus. Hic vobis liceat iure veſtro cauſas, à nobis tantæ tempeſtatis exquirere. Quem accuſabimus (coepiſcopi fratres) quem tanti mali authorem conſtituimus? Memini quid velitis, nec memoria excidit veſtrum, de ea re commune omnium Iudicium. Hoc non ſine innato pudore, & magna anteactæ vitæ, pœnitentia dicere, oportet. Propter nos tempeſtas hæc orta eſt. Viri fratres, propterea mittite nos in mare, quid addam amplius?

plius! habetis confitentes reos, in nos, ut lubet, animaduertite. Nunc iudicium incipiat, à domo DEI, ut mundentur, qui ferunt vasa Domini. Attendamus nobis, & vniuerso gregi, quiescamus peruerse agere, & discamus bene agere, imò potius tu misericors & bone Deus, per viscera misericordiæ tuæ, attẽde, placare, & fac adaugere nobis fidem, vt sine timore de manu inimicorum liberati, seruiamus tibi. Nunc viribus opus est (Patres) nunc pectore firmo, sed vereor Illustrissimi Domini, & Reuerendissimi Episcopi, ne nimis importunè agam. Non est enim sponte currentibus, addendum calcar, finem igitur faciam, est enim mea hæc expedita à Rege legatio, si quid scire vos amplius oportebit, hæc omnia Clarissimi Regis Oratores curabunt. Ego verò, & mecum vnà qui ex Galiis aduenerunt, Reuerendissimi Coepiscopi, in hac uniuersalis Ecclesiæ sacrosancta Synodo, testamur Beatissimo PP. D. PIO Pont. Max. post Deum, in perpetuũ subditos esse velle. Eius enim nos in terris Primatum super omnes Ecclesias agnoscimus, cuius nunquam Imperia detractabimus, Ecclesiæ autem catholicæ, ac sacræ generalis Synodi decreta veneramur. Vobis Illustrissimi, & Reuerendissimi Legati fasces submittimus, Sanctissimis Episcopis dextras Societatis afferimus, & Clarissimos Oratores testes sententiarum nostrarum hic adesse vehementer gratulamur, vt Spiritusancto Duce, in omnibus per omnia, & semper honorificetur Deus & Pater Domini Nostri IESV CHRISTI.



Permittente Reuerendo P. Fr. Vincentio Spargiato Sanctissimæ Inquisitionis Vicario.



BONONIÆ,
In Vico Diui Mammoli ad insigne
Mercurii. 1562.